



[Blank yellowish rectangular label]

Jus crim.
101

Fur crim 2945.6

2400.

ORDINIS IVRIDICI

IN
ACADEMIA VITEMBERGENSI

DECANVS

D. GEORGIVS STEPHANVS
WIESANDIVS

SERENISSIMO PRINCIPI ELECTORI SAXONIAE A CONSILIIIS

SVMMI PROVOCATIONVM SENATVS DECRETALIVM PRO-

FESSOR PVBLICVS FACVLTATIS IVRIDICAE ORDINA-

RIVS CONSISTORII ECCLESIASTICI DIRECTOR

CVRIAE PROVINCIALIS ET SCABINATVS

ASSESSOR

LECTORI BENEVOLO

SALVTEM.



303 (1.)

Aug. crim. Vol. 27.

Zur Criminal

1740



ORDINIS IURIDICI

OBSERVATIONES IVRIS CRIMINALIS.

SPECIMEN III.

De aetate ad iurandum in caussis criminalibus idonea.

Quod officium et solent et debent observare religiosi iudices, ut salutem civium ab omnibus iniuriis fortiter defendant atque improba facinora, quibus felicitas publica vehementer turbatur, prout iustitia praecipit, acriter vindicent, illud cum multis periculis magnisque incommodis esse coniunctum, ac saepius impediri obiectis difficultatibus, usus, optimus vitae humanae interpret, satis luculenter ostendit. Multis quidem cautionibus opus est in delictis recte aestimandis. Ac primo quidem diligenter cauendum, ne innocentes puniantur, nocentes vero afficiantur poenis iusto durioribus vel mitioribus, atque id agendum maximopere, ut evitetur humanitati inimica crudelitas simulque peccandi libido coerceatur. Deinde summa cura ponderanda est delicti commissi indoles eiusque investiganda veritas. Hinc opera danda, ut ante omnia de auctore delicti satis constet. In primis vero considerandum, quemnam finem delicti reus in perpetrando facinore intenderit. Porro omnia, quae ad delinquentem defendendum, vel ad eundem gravandum et convincendum faciunt, ea, quam iuris aequivae studium exigit, religione sunt observanda. Denique, circumstantiis omnibus probe expensis, curandum, ut feratur sententia legibus satis consentanea. Sed in caussis criminalibus saepius occurrunt multa, quae vel prorsus sunt incerta, vel dubia et obscura. Atrocia saepenumero delicta clam, remotis arbitris, praesertim tempore nocturno, ita committuntur, ut postea iudex,

Handwritten signature or note



dex, si hi, in quos mala cadit suspicio, omnia prae fracte negauerint, dubius haereat, quale iudicium statuere debeat. Interdum prouocatur ad testes, vt assertis fides et auctoritas concilietur. Quin hi ipsi, qui delictis fuere laesi, vel, qui eadem magistratui denunciant, omne studium in eo ponunt, vt iudici persuadeant, ea, quae proposuerunt, esse vera. Inde igitur oritur necessitas etiam in causis criminalibus adhibendi iusiurandum, tamquam commodum veritatis eruendae remedium. Cum vero iura, quibus in Germania utimur, aetatem ad iurandum in causis criminalibus idoneam non satis definiant, non erit ab instituto alienum hoc argumentum in praesenti, excutere paullo studiosius. Qua quidem in re ita versabor, vt primo iuris Romani et pontificii placita afferam; deinde iuris Germanici praecepta tradam; denique, quid usus fori hodierni, praesertim in Saxonia ferat, ostendam.

Cum iurisiurandi vis ac potestas in eo sit posita, vt quis Deum tamquam testem veritatis et vindicem periurii inuocet, sequitur, vt, ipsa ratione magistra, iuraturum oporteat esse instructum perspicua eius rei, quam fide religiosa confirmare studet, intelligentia. Si quis iureiurando spondeat, se quid daturum, vel facturum, necesse erit, vt ad paciscendum sit idoneus. Meo quidem iudicio, potestas paciscendi cum facultate iurandi, naturali vinculo est coniuncta. Vti igitur omnes, qui intellectus et voluntatis libertate destituuntur, ad iurandum non sunt apti; ita in specie infantes atque impuberes, qui licitum ab illicito nondum discernere possunt, a iureiurando arcere debemus. Sed iam, quid Romani de hac re statuerint, breuiter explanabo. In causis quidem ciuilibus certus terminus aetatis ad iurandum aptae non fuit statutus. *ULPIANVS* in *l. 19. §. 1. D. de testib.* pupillis testimonium denunciari non posse, contendit. In *l. 34. §. 2. D. de iureiur.* eandem opinionem defendit, vbi disertis verbis declarat, pupillis iuramentum non deferri. Porro in



l. 4. D. de in lit. iurand. haec tradit: *videamus in tutelari causa, quis iurare et aduersus quem possit? et quidem ipse pupillus, si impubes est, non potest: hoc enim saepissime rescriptum est.* Sed haec verba scrupulum facile iniiciunt, dum discrimen pupillorum puberum atque impuberum indicare videntur. Sed, quem fugit, olim inter veteres de pubertate non satis conuenisse, cum Cassiani eam aestimauerint ex habitu corporis, Proculeiani ex anno decimo quarto, Priscus vero Iauolenus ex utroque. **VLPIANVS** *Fragm. T. XI. §. 28.* Confer **BYNKERSHOEKII** *Obserrat. Libr. 3. c. 24.* Hoc dissidium composuit **IUSTINIANVS** in l. 3. C. *quand. tutor. vel curator.* dum fixum pubertatis terminum in utroque sexu definiuit. Ad hanc constitutionem in *Prooem. I. quib. mod. tutel.* simul prouocauit, ut iuris incerti varietatem tolleret. Inde vero intelligitur, mentem legis adductae satis esse perspicuam, cum **VLPIANI** aetate ii, qui in sensu iuris civilis adhuc impuberes fuerint, naturaliter iam puberes esse poterint. Sed **VLPIANO** contrarius videtur esse **PAVLVS** in l. 26. D. *de iureiur.* quae sic concepta est: *qui iurasse dicitur, nihil refert, cuius sexus aetatisue sit: omni enim modo custodiri debet iusiurandum aduersus eum, qui contentus eo, cum deferret, fuit: quamuis pupillus non videatur preierare, quia sciens fallere non videatur.* Sed facile cum **VLPIANO** conciliabitur, dummodo meminerimus, olim iusiurandum in causis pecuniariis extra iudicium, fuisse delatum illudque fuisse mere voluntarium. Eiusmodi iusiurandum a pupillo, si fuisset ab aduersario delatum, sponte suscipi et praestari potuisse, non est dubium. Sed quid impedit, quo minus **PAVLVM** etiam de iureiurando, quod in iudicio defertur, accipiamus, ad quod praestandum quidem, si ipse velit, quia pars aduersa consentit, erit admittendus, non tamen inuitus, ut istud praestet, compellendus. Ita certe hanc pugnam amico arbitrio diremerunt intelligentissimi iuris civilis interpretes **VOETIVS** ad *Digest. Libr. 12. Tit. 2. §. 9.* et **NOOD-**

TIVS



TIVS in *Commentar. ad D. Libr. 12. Tit. 2.* Minores, qui iam pubertatem sunt egressi, in causis civilibus iurare non prohibentur. Nota satis est *Authent. FRIDERICI, Sacrament. puber. C. si aduers. vendit.* qua iuriurando, quo minor contractum alias inualidum corroborat, ea vis tributa est, vt postea eiusmodi contractum amplius rescindere haud liceret, nec minor aduersus eundem in integrum restitueretur. Hanc vero sanctionem pertinere vnice ad puberes, qui maiorem aetatem nondum attingere, ostendit WILDVOGELIVS in *dissert. de iurament. actus puber. confirmant. cap. 3. §. 3. seq.* Aliud tamen obtinuit in causis criminalibus. Etenim ex *l. 3. §. 5. D. de testib.* intelligitur, iam olim lege Iulia de vi fuisse cautum, ne impuberes aduersus reos testimonium dicerent. Neque Romani in iudicio criminali admisere testes viginti annis minores. Ita enim VENULEIVS in *l. 20. D. de testib: in testimonium accusator non citare debet eum, qui iudicio publico reus erit, aut qui minor viginti annis erit.* Adde STRAVCHII *dissert. ad ius Iustinian. dissert. 25. §. 13.* Iam nuper in *Specim. II. monui*, apud veteres Romanos viguisse imprimis processum accusatorium, inquisitorium vero demum auctoritate iuris pontificii fuisse introductum. Sed in causis criminalibus ius Romanum accusatori eam potestatem non tribuit, vt accusato super delicto commisso iuramentum deferre possit, sapienti profecto consilio, ne homines scelerati, metu imminentis supplicii commoti, periuria admitterent. Statuit potius, ignoscendum reo capitalis criminis, dum sanguinem suum quouis modo, redimere cupit. *L. 1. D. de bon. eor.* Neque putandum, iuriurando vel suppletorio, vel purgatorio in eiusmodi causis locum dari. Monstrauit dudum HEINECCIUS in *dissert. de lubricit. iurisiur. suppletor. §. 9. seqq.* vsum iuramenti suppletorii Romanis ne in causis quidem civilibus, fuisse cognitum. Quae quidem opinio nititur fundamento satis solido, cum Imperator CONSTANTINVS M. in *l. 9. §. 1. C. de testib.* his ver-



bis eandem confirmet; simili modo sanximus, ut unius testimonium nemo iudicum in quacunque causa facile patiatur admitti. Et nunc manifeste sancimus, ut unius omnino testis responsio non audiatur, etiamsi praeclarae Curiae honore praefulgeat. Vnicum testem ad quaestionem habendam non sufficere, contendit PAVLVS in l. 20. D. de quaest. Licet vero quis sinistra suspicione laboraret; Romani tamen ideo iuriiurando purgatorio locum non reliquerunt, neque reum delicti, nisi illud fuisset confessus, vel eiusdem satis conuictus, puniendum esse, censuerunt. Ita enim rescripsere Imperatores GRATIANVS, VALENTINIANVS et THEODOSIVS in l. 25. C. de probat: sciant cuncti accusatores, eam se rem deferre in publicam notionem debere, quae munita sit idoneis testibus, vel instructa apertissimis documentis, vel indiciis ad probationem indubitatis, et luce clarioribus expedita. Neque silentio praeterire debeo sanctionem CONSTANTINI in l. 16. C. de poen. ita conceptam: qui sententiam laturus est, temperamentum hoc teneat, ut non prius capitalem in quempiam promat seueramque sententiam, quam in adulterii vel homicidii, vel maleficii crimine, aut sua confessione, aut certe omnium, qui tormentis, vel interrogationibus fuerint dediti, in unum conspirante concordanteque rei finem, conuictus sit et sic in obiecto flagitio deprehensus, ut vix etiam ipse ea, quae commiserit, negare sufficiat. Non me fugit, viros magnae auctoritatis in ea opinione versari, ac si iuramentum purgatorium quoque in iudiciis Romanorum criminalibus locum obtinuerit. Sed nec meae causae desunt patroni satis graues. Confer ea, quae MATTHAEI de criminib. ad D. Libr. 47. Tit. 16. c. 1. 10. van de WATER Obseruat. Libr. 2. c. 10. et BOEHMERVS in dissert. de usu iurament. purgator. in criminal. §. 3. seqq. admonuere. Ius pontificium infantibus atque in vniuersum impuberibus necessitatem iurandi haud esse imponendam, statuit. Ita enim c. 14. C. 22. q. 4. praecipitur: parvuli, qui sine rationabili aetate sunt, non cogantur iurare, sicut Gunebodigni faciunt. Sed hic locus scrupulum, qui hic

hic



hic facile moueri potest, nondum tollit, cum aetatem ad iurandum aptam non satis definiat. Subiungo igitur alium eumque magis luculentum, scilicet *c. 15. C. 22. q. 5.* vbi haec traduntur: *pueri ante annos quatuordecim non cogantur iurare.* Inde vero intelligitur, puberes ad iurandum esse idoneos, impuberes quidem a iureiurando non prorsus arceri, ad illud tamen praestandum non posse vi adigi. Sed, missis iuribus peregrinis, nunc ad instituta domestica progredior.

Prisci Germani certum pubertatis annum non constituere, sed potius eam ex habitu corporis aestimarunt ita quidem, vt masculi armis ferendis idonei, feminae vero matrimonio ineundo aptae, viderentur puberes. *TACITVS de morib. Germanor. c. 13. et 20.* Neque distinxere impuberes ac minores, vt dudum monstrauit *GAERTNERVS in dissert. iur. German. inter im- puber. et minor. non distingui.* Aliam quidem opinionem sequitur *PVFENDORFIUS in Obseruat. Tom. I, 48,* qui putat, aetatem minorem a pupillari fuisse discretam, impuberes tutelae subfuisse, puberes vero minores libero arbitrio, sibi curatorem eligere potuisse. Sed loci, ad quos prouocat, id tantum innuunt, discrimen naturale, quo infantes ab adolescentibus differunt, etiam a gentibus Germanicis fuisse obseruatum. *Lex Longobardorum Libr. 2. Tit. 55. §. 22. in corp. iur. Georgisch. p. 1144.* sancit, vt infantes, qui sine rationabili aetate sunt, non cogantur iurare, sicut *Gundebada lege viuentes faciunt.* Sub lege *Gundebada* intelligenda est lex Burgundionum, quae, teste *GREGORIO TVRONENSI histor. Franc. Libr. 2. c. 30.* a rege Burgundionum *Gundebado* fuit proposita. In ea vero multa occurrunt ex iure Romano sumpta, quod non mirandum, cum gens Burgundionum mores Romanos induerit. Confer *HOFFMANN. de orig. et natur. leg. German. p. 51.* Omnibus, quibus crimen erat obiectum, secundum *L. Burgund. Tit. 8. et 45.* iureiurandó innocentiam probare fuit permissum. Cum vero haec
lex



lex aetatis ad iurandum aptae mentionem non faciat, sine vlla dubitatione ita fuit accepta, vt etiam impuberibus, qui nondum erant iudicii satis confirmati, iurare esset licitum. Ex *iure feud. Alamann. c. 51 seq.* satis clare apparet, aetatem XVIII annorum visam fuisse ad praestandum iusiurandum legitimam. Si iura prouincialia medii aeui consideramus, eadem in termino maioris aetatis constituendo variare, animaduertimus, de quo quidem argumento docte egit LVDEWIG. *de aetat. legitim. puber. et maior. c. 3.* In nonnullis terris hic terminus fuit magis productus, in aliis vero contractus. In *Speculo* quidem *Saxonico* minores appellantur *Kinder, die binnen ihren Jahren, vel etiam, die noch vor ihren Tagen sind. Libr. 1. art. 23.* Sunt, qui putent, priores esse impuberes, posteriores vero puberes adhuc minores, quam quidem opinionem etiam comprobauit CONRADI in *dissert. de iur. personar. ex discrim. homin. natural. var. §. 12.* Sed, vanam hanc esse distinctionem atque vtraque loquendi formula exprimi homines, qui ad aetatem maiorem nondum peruenerunt, ostendere iam alii, vt GAERTNERVS in *dissert. supra laudata §. 4.* HANNACCIVS in *dissert. de pubertat. Saxon. §. 13. seq.* et RICCIVS in *spicileg. iur. German. p. 63.* Vti vero iura Germanica diuersos terminos aetatis maioris definiunt, ita nemo facile mirabitur, eadem multum intuitu aetatis ad iurandum aptae, inter se differre, cum alia minores in vniuersum a iureiurando arceant, alia vero homines XVII vel XVIII annis minores, iurare haud sinant. Docta industria instituta domestica huc pertinentia excussit WALCHIVS in *dissert. de iurant. legitim. aetat. §. 5. seqq.*

Sed iam ad ius recentius transeo et, quomodo pubertas iuratoria in Germania hodie sit aestimanda, breuiter ostendere cupio. Pubertatis terminum in causis criminalibus praescribit *Sanctio Carolina Art. 164.* his quidem verbis: *so der Dieb oder die Diebin ihres Alters unter vierzehn Jahren wären, die sollen um Diebstahl, ohne sondere Ursach, auch nicht vom Leben zum Tod gericht, sondern*



sondern der obgemeldten Leibesstraf gemäß, mit sammt einiger Urphede, gestraft werden. Wo aber der Dieb nahe bey vierzehn Jahren alt wäre, und der Diebstahl groß, oder obbestimmte beschwerliche Umstände, so gefährlich, dabey gefunden würden, als daß die Bosheit das Alter erfüllen möchte, so sollen Richter und Urtheiler deshalb auch (wie hernach gemeldt) Rathspfleger, wie ein solcher junger Dieb, an Guth, Leib oder Leben, zu strafen sey. Ex hac igitur lege manifestum est, delinquentes non prius, quam si annum aetatis decimum quartum expleuerint, pro puberibus, sine vlllo sexus discrimine, esse habendos; impuberes vero, qui pubertati sunt proximi, poenis capitalibus non esse afficiendos, nisi malitia aetatem suppleat, atque in iisdem puniendis, iudicis aequum exigi arbitrium. In materia delictorum igitur non locum habet distinctio, quam ius Romanum intuitu sexus, obseruat, quod quidem suadet naturalis aequitas, ne feminae durius tractentur, quam masculi. Adde STRYCKII *dissert. de poen. impuber. c. 1, 27. seqq.* Pubertati proximi, si insignem ostenderint malitiam, plerumque poenis coercentur extraordinariis. Confer *c. 1. X. de delict. puer. et l. 22. de leg. Cornel. de fals.* Adde *ius prou. Saxon. Libr. 2. art. 65.* Quin in poenis irrogandis in Germania plerumque habetur aetatis minoris ratio ita quidem, vt vel supplicium acerbius mitigetur, vel loco vltimi supplicii, poena lenior statuatur. Ita quoque iam TRYPHONINVS in *l. 37. §. 1. D. de minor.* tradit: *in delictis autem minor annis viginti quinque non meretur in integrum restitutionem, utique atrocioribus: nisi quatenus interdum miseratio aetatis ad mediocrem poenam iudicem produxerit.* Scilicet aetas minor videtur adhuc lubrica ac praeceps, consilio satis firmo nondum instructa, nec eo animi robore, quod prauas libidines fortiter repellat, praedita. Ipse CAROLVS V. in *Art. 189.* aetatem infirmam refert inter causas mitigandi poenas. Confer interpretes *Sanct. Carol. ad Art. excitat.* inprimis KRESSIVM et BOEHMERVM. Eandem opinionem iam
b olim



olim secutos fuisse Iureconsultos Saxonicos, ex *Consultat. constitut. Saxon. P. 4. q. 4.* cognoscitur. Adde HOMMELII *Rhapsod. Obseru. 205.* Certe hodie in nonnullis terris plena octodecim annorum pubertas requiritur ad subeundas poenas ordinarias. BOEHMER ad CARPZOV. *Quaest. 143. Obseru. 1. p. 140.* In prouinciis Hannoueranis fures, qui octodecim annos nondum egressi sunt, vltimo supplicio haud subiici, testatur PVFENDORF. *Introduc. in process. crim. Luneburg. C. 24. §. 42. seq.* Cum igitur secundum Nemesin Carolinam delictorum rei, si pubertatem attigere, poenis capitalibus affici queant, non est dubium, quin quoque secundum eandem legem ad iuramentum purgatorium, si istud iudici ad decisionem caussae visum fuerit necessarium, sint admittendi. Iam antiquitus in Germania moribus fuit receptum, vt criminum accusatis iureiurando innocentiam probare esset integrum, vti ex *leg. Sal. Tit. 51. et L. Alamann. Tit. 6. §. 7.* cognoscitur. Consule quoque HEINECCII *Element. iur. German. Libr. 3. Tit. 6. §. 201.* Eundem morem olim seruasse Saxones, docet *iur. prou. Saxon. Libr. 1. art. 15.* his quidem verbis: *Schuldigt man den Mann um das, so er unter ihm nicht hat, das entgehet er mit seiner Unschuld.* Adde *Libr. 1. art. 18.* Non temere LEYSERVS in *collat. prisc. iur. Saxon. cum iur. Roman. §. 32.* inter iuris Saxonici antiqui naeuos retulit iuramentorum frequentiam. Iuramenti purgatorii vsum haud parum auxere iuris pontificii placita, quibus istud tamquam remedium elidendi malam suspicionem valde commodum, fuit comprobatum. *C. 5. seqq. C. 2. q. 5.* Confer *Tit. X. de purgat. canon.* Cum vero in Germania in delictis cognoscendis et persequendis non vnus idemque processus obseruetur, sed grauiora processu accusatorio, vel inquisitorio, leuiora vero denunciatorio vindicentur, rei criminum in quocunque processu, si annos XIII compleuerunt, purgatorio praestando sunt apti. In *art. 164. Sanct. Carolin.* quidem duntaxat vrphedae fit mentio. Sed

Sed



Sed iam BOEHMERVS in *Meditat. p. 790.* monuit, id, quod de praestatione vrphedae hic traditur, merito ad iuramentum purgatorium in criminalibus esse trahendum. Hac vero occasione non possum silentio omittere eum, qui nonnullos turbat, scrupulum. Etenim negandum haud est, iuribus prouincialibus ac statutariis passim in Germania esse cautum, ne quis, nisi octodecim annos fuerit egressus, ad iurandum admittatur. Sic *Ordinat. process. Saxon. recognit. Tit. 18. §. 4.* sancit: *wenn Minderjährige das 18^{de}, oder auch in Ehe- und Schwängerungs-Sachen nur das 16^{de} Jahr ihres Alters erfüllet, sollen dieselben, jedoch nach vorhergehender genugsamer Erklärung und Erinnerung, ohne Unterscheid, den erkannten Eyd selbst abzulegen verbunden seyn.* Haec igitur sanctio a regulis iuris communis prorsus recedit, antiquas controuersias de aetate iurantium legitima obortas prudenter decidit atque in iuraturis desiderat aetatem satis iudicio instructam. Ex ratione legis facile intelligitur, impuberes, licet eorum expresse mentio non iniiciatur, a iureiurando prorsus arceri. MENCKE in *dissert. de iurament. minor. et impuber. §. 21.* Quod si vero, uti bonos decet interpretes, causam huius sanctionis consideremus, haud leuis nascitur dubitatio, num in causis criminalibus, quae litibus pecuniariis sunt longe grauiores, homines octodecim annis minores, ad iurandum sint admittendi. Sed hic scrupulus euanescit, modo cogitemus, totam sanctionem potissimum inseruire causis ciuilibus atque ostendere modum, quo iudici et litigatoribus in litibus disceptandis procedendum erit. In causis criminalibus, si iura prouincialia deficiunt, utimur in prouinciis Germanicis *Sanctione Carolina.* Hinc Iureconsulti Vitembergenses, teste WERNHERO *Part. 7. Obseruat. 210.* reo sedecim annorum iusiurandum purgatorium imponere haud dubitarunt. Mecum quoque faciunt QVISTORPIVS in *Princip. Iur. crim. Part. 2. §. 758.* et HOMMELIUS *Rhapsod. Obseruat. 205.* CARPZOVIUS in *Pract. rer. criminal.*



Part. 3. Q. 143. n. 39. cauendum esse putat iudici, ne impuberem ad iurandum admittat. Non igitur puberes adhuc minores ab usu iurisiurandi excludit. LEYSERVS *Specim. 136. Meditat. 7. coroll. 3.* statuit, minores XVIII annis, modo XIII annos egressi fuerunt, ad iurandum cogi posse hancque opinionem auctoritate *c. 15 seq. C. XXII. q. 5.* confirmare studet. Neque desunt rationes, cur delictorum rei ad iurandum prius, quam in causis ciuilibus fieri potest, admittendi sint. Omnium interest maxime, causas, quae moram non ferunt, expediri quam celerrime. Si delictorum rei, propterea quod XVIII annos nondum expleuerint, in carcere forent detinendi et cognitiones, a quibus saepenumero hominum salus pendet, per aliquot annos differrentur, multa inde orirentur incommoda non solum delinquentibus, sed aliis quoque ciuibus valde molesta, quae quidem nunc fusius exponere nolo. Cum vero secundum *Sanctionem Carolinam* in furibus aetas XIII annorum sufficiat, vt poena capitalis statui queat, facile est ad intelligendum, hanc aetatem multo magis sufficere in delictis leuioribus, quae coerceri solent poenis minus acerbis. Vnus igitur idemque pubertatis terminus obtinet in omnibus delictorum generibus. Neque diuersa in causis criminalibus procedendi ratio hunc terminum mutat, vt ideo nihil intersit, num delicta vindicentur processu accusatorio, an ea inquirantur processu inquisitorio, vel denunciatorio. Ex quibus quidem sequitur, vt delictorum reis, quando pubertatem criminalem attigere, in quocumque processu genere iuramentum purgatorium imponi queat, atque ii tunc ad iurandum sint satis idonei. Hic tamen prudenti iudicis arbitrio merito relinquendum, vt virtutes iuraturi caute exploret. Valde quoque mihi probantur ea instituta, quae prohibent, quo minus delicti capitalis suspecti ad iurandum admittantur. Neque improbo philosophiam MALBLANCI, qui *de iureiur. Libr. 1. §. 9.* haud temere statuit, media via inceden-



cedendum atque annum aetatis decimum sextum esse terminum ad iurandum satis aptum.

Quae haecenus de pubertate iuratoria in caussis criminalibus exposui, ea tantum pertinent ad delictorum reos, neutiquam vero ad personas alias, quae pariter in processu criminali, veritatis explorandae gratia, cum ad reos grauandos et conuincendos, tum ad eosdem defendendos et mala suspicione liberandos, adhiberi solent. Huc potissimum referendi sunt testes, qui ideo testimonia perhibere debent, vt iudex de veritate delicti commissi, vel de auctore delicti aliisque rebus scitu necessariis fiat certior. Iam supra prouocaui ad *l. 20. D. de test.* quae quidem in caussis criminalibus testimonia eorum, qui XX annis minores sunt, repudiat. Hanc legem pertinere ad processum sollemnem accusatorium, qui olim Romanis fuit vtitatus, neutiquam vero applicandam ad processum inquisitorium, qui hodie in Germania frequentatur, iam animaduertunt alii. BRUNNEMANNVS de *process. inquisit. C. 8. membr. 232.* et BARTHIVS in *Hodeget. forens. p. 1042. Sanctio Carolina Art. 63. seqq.* in genere quidem testes desiderat honestos atque existimationis integrae, eorundem tamen virtutes in specie non describit, nec de aetate ad testimonium ferendum idonea quid tradit. CARPZOVIVS in *Pract. rer. crim. P. 3. Q. 114. n. 42 seqq.* putat, iuri civili quidem esse inhaerendum, iudicem tamen testem XX annis minorem posse admittere, si is testimonium ferre haud recuset. BOEHMERVS in *Meditat. ad Art. 66. Const. Carol.* monet, sententiam *l. 20. D. de testib.* vsu quidem non seruari, et quotidie minores euocari, eatenus tamen eius rationem esse habendam, quatenus de plena fide ad effectum condemnationis, quaestio sit. Ius quidem Romanum in hac re passim sequuntur iura particularia, veluti *Ordinat. iudic. Solmens. de 1571. Tit. 27. Process. iudiciar. Wormat. Tit. 11,* quae in caussis criminalibus respuunt testes XX annis minores.



In foris inualuit ea opinio, eiusmodi testes quidem facere indicium ad reum magis grauandum, neutiquam vero sufficere ad eundem condemnandum. MARTINI in *Commentar. ad Ordinatum. proc. Sax. Tit. 20. §. 2, 29 seqq.* et BERGER in *Supplem. ad Elect. iurisprud. crim. Part. 1. p. 497.* Conferendus hic in primis est LEYSERVS *Specim. 283, 5.* Admittuntur igitur hodie in processu criminali testes, qui nondum viginti annos egressi sunt, praesertim si de factis occultis incidat dubitatio. Cum vero testibus iniuratis fides non habeatur, inde oritur quaestio, quaenam aetas in iisdem ad iurandum exigatur. Quae *Constitut. Carol. Art. supra adducto* praecipit, ea, ut iam antea monui, de solis delinquentibus sunt accipienda. Vsu fori in atrocissimis delictis testes XIII annorum haud repelluntur. HOMMEL. *Rhapsod. Obseruat. 81 et 211* sub verb. *Infant.* Puto tamen, magis esse tutum, ut statuamus, eam aetatem, quae alias in causis ciuilibus desideratur ad iurandum tamquam legitima, etiam in causis criminalibus in regula, esse necessariam. Si interdum in delictis grauioribus iudex ab hac regula recedere cogitur, id ad delicta leuia non est trahendum. Sic apud nos in processu denunciatorio testem XVIII annis minorem iurisiurandi religione obstringere haud solemus. Cum iudicia criminalia ciuilibus sint grauiora, testes, qui ne in ciuilibus quidem causis sunt habiles, in criminalibus probare haud debemus. Ita quoque iudicat MATTHAEI *de crimin. ad Libr. 48. D. Tit. 15. c. 2.* Admittuntur vero testes alias inhabiles pro reis defendendis. BERGER. in *Elect. iurisprud. crim. p. 247.* et KRESSIVS ad *Artic. 29. Constitut. Carol.* Adde HORN. *Class. 15. Resp. 47.* et HOMMEL. *Obseruat. 122.* Hinc nonnulli sibi persuadent, testibus defensionalibus eandem pubertatem iuratoriam, quae ipsis delinquentibus est tributa, esse assignandam. Sed hanc argumentationem haud satis esse aptam, facile intelligitur.

Deni-



Denique quaeritur, qualis aetas exigatur in personis aliis, quae pariter in causis criminalibus, veritatis confirmandae causa, iurare solent. Huc refero eos ipsos, qui delictis fuere laesi. Hi dum in propria causa testimonium ferunt, eo quidem consilio, ut reus grauetur, non est dubium, secundum ius civile eos ante annum aetatis vicesimum, ad iurandum haud esse habiles. Iura nostra provincialia plerumque XVIII, vel saltem XVI annos desiderant. In furtis saepe accidit, ut tertius, qui tamquam conductor, commodatarius, depositarius, vel ex alia causa, rem alterius tenuit, factum ablationis iureiurando confirmet. Tunc vero eadem regula erit sequenda. Sed et aliae occurrunt personae, veluti medici ac chirurgi, qui occisorum cadauera inspicere, de vulneribus inflictis iudicium ferre, vel de damnis circulatorum nequitia atque obstetricum incuria natis, arbitrium interponere debent. Interdum quoque laesiones, quae bonis dolo malo illatae sunt, ab artis peritis sunt aestimandae. Ne vero postea iurgia oboriantur odiosa, eiusmodi personae saepius iurisiurandi vinculo obstringi solent. Sed, quis negare audeat, omnes eos, qui *iudici de facto dubio fidem faciunt, tamquam testes esse considerandos?* Hinc quoque regula antea de testibus in vniuersum proposita, ad hanc speciem erit accommodanda. Sed plura addere vetat instituti ratio. Etenim iam mihi ante oculos versatur Candidatus doctissimus, litteris ac moribus politissimus,

CHRISTOPHORVS CAROLVS STVEBEL

PAVSITIO MISNICVS,

qui summos in utroque iure honores a nostro ordine modestis precibus sibi expetiit. Vitam suam ipse his quidem verbis describit:

Anno c1713 CCLXIV Pausitiae in vico prope Wurzenam sito natus, parentes habui GODOFREDVM IMMANVELEM STVEBEL, sacrarum rerum interpretem, et CHRISTIANAM ERDMUTHAM ex gente TITTMANNIANA. Ex quibus cum pater praematura morte obiret, haec omnibus

bus




bus iis, quae ad vitam quinque liberorum sustentandam requiruntur, destituta, omne studium contulit, omnesque nocte dieque exhausit labores, ut liberorum saluti consuleret. Ac in me quidem educando et alendo tanta fuit eius cura, ut magisne natura, an beneficiorum copia, matrem appellare me iubeat, dictu sit difficillimum. Prima literarum elementa hausi in schola Wurzenensi, in qua M. TEUCHERI et M. RAUSCHII fautorum meorum optimorum, institutione, per annum usus fui. Inter multa alia beneficia, quibus huius urbis incolae me ornabant, quorumque memoriam nulla apud me delebit obliuio, inprimis eius Senatui hoc, quo res meas in Academia hucusque auxit, literarumque studia leuauit, acceptum refero. Iam vero cum ad literas discendas potissimum animum appellerem, M. MENZELIUS, vir probus ac honestus, adfinitate mihi coniunctus, qui tunc quidem temporis in ergastulo Torgauensi, nunc vero apud Gersdorfienses sacra administrat, rerum mearum curam se habiturum pollicitus, matri persuasit, ut in Lyceum, quod Torgauiae floret, anno MDCCCLXXIX. me ablegaret. Nec verbo fides defuit. Nam eius ope praesertim factum est, ut, multorum liberalitate adiutus, ibi in literas incumbere possem. Etenim ea urbs prae ceteris liberalitatis laudem meretur, multosque iuuenes, qui ad literas adspirant, ita fouet ac alit, ut eius beneficentiae omnia debeant. Etsi autem multi huius urbis ciues ne rogati quidem me tot tantisque beneficiis cumularunt. quanta parentes in liberos fere conferre solent, tamen eorum singula nomina commemorare cum vetat huius loci ratio, tum ipsorum modestia. Ac ibi quoque M. BARTHOLOMAEI, Subrectorem, M. MATHA, Conrectorem, et M. SINTENIS, Rectorem, magistros habui egregios. Damnum Rectoris discessu scholae illatum, cum Zittauiam Gymnasii Director abiret, reparauit M. BENEDICT, qui ei in munere successit. Quam insignis eius sit doctrina, quantaque in scholam merita, non est huius loci enarrare. Illud vero silentio praetermittendum non est, me ex eius institutione non solum ea, quibus ad altiora studia in Academicis tractanda opus est, hausisse, sed etiam innumera alia beneficia ei debere. Is enim mox in uedes suas me recepit, atque, cum saepissime eius consilio uterer, eum erga me se gessit, ut eius animi probitate ac integritate maxime delectarer. Cum vero per sexennium ibi versatus essem, Vitembergam anno huius saeculi LXXXV. me contuli. Nam etsi rerum mearum non eam esse conditionem videbam, ut ad vitam ibi degendam necessaria suppeterent; tamen cum Dei benignitate, tum Viro fretus, quem fors auunculum, Deus vero

vero

vero patris loco mihi dedit, animum non abiiciendum esse existimabam. Atque hic profecto difficillimum est, grati animi testificandi impetum comprimere. Sed TITTMANNI nomen laudasse sufficiat. Is enim cum inde ab eo tempore, quo in scholam Torgauensem deducebar, usque ad hunc diem suae in me liberalitatis ac beneficentiae voluit esse maxima documenta, tum in omnibus rebus meis auctor suatorque extitit. Pro tot tantisque in me meosque collatis beneficiis, si parum cumulate gratias egero, id beneficiorum magnitudini potius, quam meae voluntati tribuendum est. Vti enim mihi nihil magis curae est, quam ut impense a me amari sciat; ita sedulitate ac votis pro ipsius salute faciendis, ipsi mihi nunquam satisfaciam. In Academiam, Rectore Magnifico WIESANDO, translatus, cum facile intelligerem, philosophiae ac historiae cognitione magnopere adiuuari iurisprudentiae studium, hanc rationem mihi sequendam esse duxi, ita ut huic illas veluti socias adiungerem. Quare primum scholis S. V. REINHARDI, Excell. HILLERI, TITII, SCHROEKHII et EBERTI interesse coepi, ut mihi viam ad reliqua studia aperirem. Deinde in iurisprudentiae disciplinis Viris Illustribus, GEISLERO nuperrime defuncto, WIESANDO, PAULI, KLÜGELIO, HOMMELIO, WERNSDORFIO, SCHLOCKWERDERO et WIELISCHIO operam dedi, ex quorum institutione mihi haud paucus fructus licuit percipere. Nec silentio praetereundum est, hos viros simul cum aliis, quorum nomina singula commemorare superuacaneum est, rebus meis singulari beniuolentia adfuisse, mihique consilio ac libris adiuto, copiam sui fecisse. Huc pertinet, quod Academia Mareschalliani beneficii me participem esse voluerit. Nec minus grato animo veneror memoriam beati GEISLERI, cuius non modo consuetudo fere quotidiana mihi et ad variam doctrinam utilissima et ad voluptatem iucundissima fuit, sed consilium quoque tantum auctoritate sua apud me valuit, ut in hac Academia de docendi prouincia adeunda, cogitare inciperem. In primis autem huius mei coepti curriculi progressus felices consiliis atque commendationi honorificae gravissimaeque WIESANDI inter alia beneuolentiae suae documenta me debere, animo gratissimo confiteor. Atque etiam EBERTI, Patroni mei pie venerandi, ope mihi contigit esse tam felici, ut Generosissimo iuueni WURMB, filio Illustrissimi patris, tanquam studiorum socius adiungerer. Huius adolescentis ornatissimi ac eximiis ingenii viribus instructi, quas saepissime miratus sum, quotidiana per tres annos consuetudo, quo maiori fuit voluptati, eo maiorem eius ab hac Academia discessus mihi attulit dolorem. Quem

c


tamen



tamen paululum mitigatum esse sensi, cum in examine sollemni, in quo doctrinam suam luculenter probavit, talem se praestitit, ut summo elogio fuerit ornatus. Iam feliciter in patriam urbem rediit eo quidem consilio, ut summi patris vestigiis insistat. Nec ita multo post Generosissimus de TEBERN, a consiliis Electoris, studiorum filii sui regendorum mihi tradidit curam, quae quidem mihi ob adolescentis eximias dotes fuit suavissima, ob patrem vero honorificentissima.

Sic eo tandem peruentum est, ut anno 1713 CCLXXXVIII. libellum a me scriptum: de satisfactione personis, in primisque feminis illustribus de iniuriis acceptis praestanda, publice defenderem, atque ad examina, in quibus tum eorum periculum fit, qui ad causas in foro agendas, tum qui ad doctoris dignitatem aspirant, benignissime admissus, studia mea probarem Illustri Iureconsultorum Ordini. Atque nunc quidem, cum multi me adhortarentur animumque adderent, ad docendi munus me accinxi et iuris Romani, criminalis et Saxonici publice tradendi periculum feci. Quod ipsum cum praeter spem, per duos iam annos, non plane improbaretur, eo facilius induci me passus sum, ut a coepto consilio non desisterem. Animum quoque adiecit beneficentia Principis Electoris Serenissimi, collato per biennium mox praeterlapsum beneficio maiori. Quamquam igitur de summis in utroque iure honoribus numquam antea cogitaueram, eos tamen nunc ita peto, ut me resque meas Deo Optimo Maximo commendem.

Noster vero Candidatus in utroque, quod subiit, examine multiplicem, qua pollet, doctrinam nobis ita probavit, ut cunctis suffragiis iudicatus fuerit dignissimus, cui summi in utroque iure honores tribuantur. His vero consequendis, futuro die Iouis, Serenissimi Principis Electoris indulgentia, sine Praeside, dissertationem inauguralem, quatenus actiones religioni non convenientes ex principiis iuris publici uniuersalis poenis criminalibus coerceri possint, publice defensusurus est. Hunc actum sollemnem VI RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICVS, ILLUSTRISSIMI COMITES, PERILLVSTRES LIBERI BARONES, PATRES ACADEMIAE CONSCRIPTI, OMNES DIVINAE HVMANAEQVE SAPIENTIAE DOCTORES, NEC NON GENEROSISSIMI ATQUE NOBILISSIMI ACADEMIAE CIVES honorifica praesentia condecorare velint, cum meo, tum Ordinis mei nomine, ea, qua par est, humanitate rogo. P. P. Dom. VI. post Fest. Epiphan. A. 1713 CCLXXXI.



SLUB DRESDEN



3 1399146

Jus crim. 101

